

LECTORI BENEVOLO
S. P. D.
atque eundem,
PROLVSIONE HAC ACADEMICA,
DE
FINIBVS OFFICIISQVE
DIVERSIS INTELLECTVS ET
VOLVNTATIS IN CONVERSIONIS AC
RENOVATIONIS NEGOTIO,
AD AVDIENDAM
ORATIONEM SOLENNEM,
QVA
OPVS LEGIS IN CORDA
HOMINVM INSCRIPTVM

*contra Io. Lockium, L. Velthufium &c.
vindicabitur;*

adeundi muneris Theologici causa,
IN AVDITORIO MAJORI
habendam,
decenti cum observantia & humanitate

invitat

VALENTINVS ERNESTVS LOESCHERVS,
SS. Theol. D. ejusdemque in Acad. Wittebergenfi Prof. Publ.

Coll. diss. A
259, 28

Diss. A. 259. (28).

Handwritten text, mostly illegible due to fading and bleed-through. The text appears to be Latin or German, possibly a title or a list of names. Some legible fragments include "ACADEMIA", "FUNDUS", "LITTERARUM", "MUSEUM", "SACRA", "LITURGIA", "BIBLIOTHECA".





Digna nostro seculo, digna intemperie
tot ingeniorum & cedro notanda vox
est, quam illustris divini præco con-
silio, Paulus, *Eph. V, 6. 7.* prodidit: *Nemo*
vos decipiat κενῶς λόγοις, vanis sermoni-
bus: horum enim causa venit ira Dei super
filios incredulitatis: ne igitur estote parti-
cipes illorum. Bone Deus, quanta va-
norum verborum saburra ab aliquot lustris navem Christi
vexavit, quid non absurdissimarum sententiarum publicis
hactenus chartis est defensum! Ingemiscimus sane omnes
hanc calamitatem, quotquot veri rectique amantes sumus,
atque serio dolemus, Athenas Atticas, sed perversas iniqui-
natasque, ad Germanos nostros commigrasse, civesque ac
inquinolos magnam partem nihil curare aliud, quam ut di-
cant audiantve *καινότερόν τι, imo κενώτερον, novum quid et va-*
nitatem sua eminens, Act. XVII, 21. Equidem a supplicio, quod
vanorum sermonum studiosis Apostolus minatur, non im-
munis nostra ætas fuit: Ira sane Dei, quæ vel maxime per
traditionem *εἰς ἡμῶν ἀδόκιμον, Rom. 1, 28.* se exserit, ita nostris
temporibus emicuit, ut exempla ejus sane exstantissima pas-
sim ederentur, quando, permittente justissimo judice, qui
κενὸς λόγος in primordio amabant, ab illis gradatim ad *πλα-*
στὸς ἐν πλεονεξία λόγος, verba pessimo animo conficta, 2. Petr. II, 3.
atque ad *βεβηλὸς κενόφωνίας, profanas novitates, 2. Timoth. II, 16.*
ab his ad *ὑπέρογκα ματαιότητος, enormes vanitatum excessus,*
2. Petr. II, 18. atque ad blasphemias prolapsi sunt, quod inter
alios *Oligero Pauli, Mofi Germano, Eve Marie Butlerie* ejusque
fociis, *I. C. Dippelio, Woltero et Rabio, infelicissimis sane no-*
minibus, contigit, qui ἐπαφρίζοντες τὰς ἑαυτῶν αἰχύνας, Ind.
vers. 13. effecere, ut vel illi, qui minime omnium creduli ha-
bebantur, *Irenæo* atque *Epiphanio* de hæreticis primorum se-
culorum tot nefanda narrantibus, fidem derogare non pos-
sint. Nota sunt eheu aliorum nomina, qui ab istorum im-
pietate proxime absunt; noti sunt denique, qui, cum
publice *ὑπέρογκα* ista detestari necessum habeant, aliunde
tamen suum erga vanas doctrinas amorem abunde declara-
runt.

runt. Quam vellem, imo votis exposcerem omnibus, ut Paulino monito ad unum omnes obtemperarent: μή γίνε-
σθαι συμμετοχοὶ αὐτῶν.

Nemo autem rectius illi morem gesserit, nemo a doctrina gangrænæ instar serpente, 2. Tim. II. 17. satis sibi caverit, nisi qui, primordiis malorum obstans, ea etiam errorum semina, quæ levicula nonnullis videntur, studiose effugerit. Enimvero, qui a βεβήλοις κενοφωμίαις, imo a blasphemis cavere sibi voluerit, is a κενῶς λόγοις, a vanis, etsi magis tolerabiles videantur, sermonibus animum avertat, ne iisdem fasciatus ad profunda Satanæ Circeō more abripiatur. Imponit mihi necessitatem veritas, contra quam nihil possum, sed pro ea, 2. Corinth. XIII, 8. ut ad κενὸς λόγους referam eorum doctrinam, qui nostra ætate articulorum fidei & revelatæ veritatis pretium ut minuunt, exiguum ac fere nullum eorundem in negotio convertendi et emendandi hominis usum esse docent, egregiumque huius hypotheseos fulcrum se invenisse putant, quando intellectui doctrina revelata imbuto vix ulla in salutis negotio partes concedunt, sed ad solam coecamque velut voluntatem omnia, vel saltem caput rei, referunt, publice docentes, intellectus & voluntatis in arduo hoc negotio nullum esse discrimen, vel a voluntate solitaria initium veræ animi conversionis fieri, denique intellectum doctrina cum verbo Dei conveniente imbutum habendum esse, si per se consideretur, tanquam phantasmatibus mere naturalibus refertum. Utinam in sinu repurgatæ Ecclesiæ malum istud non serperet, quam libenter & a conquestione ista, & a publica dissentientium obtestatione mihi temperarem! Nunc ubi adolescens malum tristitia omnia minatur, vel lapides, nedum publice vocatos Doctores, loqui par est, ne funesto silentio aut intempestiva lenitate desertæ vitium veritatis contrahamus. Quare non inani præfidentia, sed integro melioris causæ studio hæc dabimus, ut, quandoquidem de re ista dispiciendum omnino est, ex solidis legitimisque fundamentis omnia arcessamus, deque intellectu & voluntatis diverso in conversione nostra & renovatione officio ac finibus ita nunc, implorato propitii Numinis

minis

minis auxilio, differamus, ut ex verbi divini penu aciem instruamus, eique supremum omnis causæ judicium defera-
mus, communes etiam notiones & cujusvis experientia com-
probatas temere non conculcemus, quam indagandæ fir-
mandæque veritatis Theologicæ tutissimam esse viam omnes
fatebuntur.

Principio discrimen intellectus & voluntatis, etsi ad phi-
losophicum spectare forum videatur, quando de salute æter-
na acquirenda, de gratiæ divinæ œconomia rite exponenda
agitur, non est Theologis negligendum, neque citra con-
temptum S. Codicis atque ordinis salutaris perversionem re-
pudiari unquam potest. Equidem Prophetarum pariter &
Apostolorum scripta voluntatem ab intellectu ubivis mani-
festissime discriminant. Intellectus illis audit בינה, *Prov. IX,*
10. תבונה, *Hof. XIII, 2.* ער, *Num. XXIV, 16.* *Prov. II, 5.* *Ef. XI, 2.*
LIII, 1. *Hof. VI, 6.* ער, *1. Chron. I, 10. 11. 12.* ὄρε, *Luc. XXIV, 45.*
Φην, *1. Cor. XIV, 25.* διανοια, *Eph. I, 18.* *IV, 18.* *2. Tim. II, 7.* σύνεσις,
Ephes. III, 4. *Col. I, 9.* *II, 2.* γνώσις, *Rom. II, 20.* *XV, 14.* *1. Cor. I,*
5. *VIII, 10.* *XIII, 2.* *8.* *2. Cor. IV, 6.* *VIII, 7.* *X, 5.* *2. Petr. III,*
18. Voluntas designatur vocibus ἄφρον, ἄφρον, ἄφρον, θέλημα,
θέλησις, βέλημα, &c. Intellectui tribuuntur actiones
ער, *Psal. IX, 11.* *XVIII, 44.* *XXXVI, 11.* *LI, 5.* *LXVII, 3.*
Ier. III, 13. *V, 5.* *XIV, 20.* *XXXI, 34.* *Hof. II, 20.* *VI, 3.* *VIII, 2.* בון
Ef. VI, 9. &c. γνώσκεν, *Iob. VI, 69.* *VIII, 32.* *X, 38.* *XIV, 17.* *XVI, 3.*
XVII, 3. *8.* *1. Cor. II, 14.* *XIII, 9.* *12.* *Gal. IV, 9.* *Phil. III, 10.* *1. Iob. II,*
III, 17. &c. ἐπιγνώσκεν, *Rom. I, 28.* *Eph. I, 17.* *IV, 13.* *Col. I, 9.* *11.*
III, 10. *1. Tim. II, 4.* *IV, 3.* *2. Tim. III, 7.* *2. Petr. I, 2.* *3.* *II, 21.* ἰδεῖν,
Iob. VIII, 19. *X, 4.* sq. *Gal. IV, 8.* *Eph. I, 18.* *Col. II, 2.* *2. Theff. I, 8.*
2. Tim. II, 3. *Tit. I, 16.* νοῦσαί, *Eph. III, 20.* συνιέναι, *Matth. XIII, 13.* sq.
Marc. IV, 12. *Luc. II, 50.* &c. voluntati vero אבה, אבה, אבה, אבה,
θέλειν, βέλεσθαι, &c. Cum primis *Psalmo CXIX*no diversa in-
tellectus & voluntatis munia iterum iterumque enumeran-
tur. Quæ cum ita sint, ac quotidiana insuper experientia ci-
tra refragationem omnem nos moneat, aliud nos agere,
quando percipimus, cognoscimus, ratiocinamur, aliud,
quando desideramus vel averfamur, mirari fas est, dari vi-

ros professione Theologos, qui vel maxime in Oeconomia salutis intellectum a voluntate differre negent, post ejusdem sententiæ patronos, *Sim. Episcopium & Pet. Chauvinum*, quorum ille *Tom. II. Opp. Tract. de lib. Arb. cap. II. p. 199.* hic *Lib. II. de Relig. natur. cap. III.* in hanc sententiam discessit. Eandem sane hypothesein in *Theologia*, quæ dicitur, *Evangelica, Berolini* nuper edita, p. 275. Ecclesiæ commendari recte sentientes omnino dolent. Vix quicquam speciosius pro illa produci in aciem solet, quam quod S. literæ de rebus morum & salutis nostræ differentes cordi tantum non omnia adscribant, adeoque voluntati, cujus illud sedes est; ut intellectus vel absorberi (quod non pauci versare animo videntur) vel saltem in conditionem voluntatis transcribi debeat. At enim vero cor ex indole Ebræi idiomatis non solum voluntatis, sed universi vigoris & ἀκμῆς animæ nostræ domicilium est, cumque hic vigor intellectui etiam conveniat, cujus ope & vive fortiterque repræsentat, & valide omnino afficitur, cum sine eo langvide ac somnolento similis agat; in propatulo est, etiam cordi, quod S. literæ faciunt, tribui posse hanc indolem, illam præsertim, quæ maxime omnium viva est, & spiritu divinitus dato præstatur. Accedit, quod præter cordis appellationem, aliæ, quas supra enumeravi, Biblicæ voces dentur, intellectui soli convenientes.

Postquam evictum est, separata esse intellectus & voluntatis, etiam in negotio ἀποκαταστάσεως nostræ, munia, jam de finibus utriusque dispiciendum venit, ut vel hoc pacto ὀρθοδοτομεῖν τὸν λόγον, 2. *Tim. II, 15.* advescamus. Primum in apri- co est, ita instituendas esse rationes, ut nec voluntati omnia, nec intellectui tribuamus, neque hinc in Mechanismum pneumaticum, inde in Enthusiasmum procidamus; sic enim ad præcedentem errorem relaberemur, atque efficeremus, ut una restauratarum animæ facultatum alteram velut absorberet. Quare neutri in alteram absoluta despoticæque vis tribuenda est, quippe qua concessa, saltem plurima pars functionum utriusque facultatis cessaret ac exspiraret, atque, v. gr. vel intellectus, divinis veritatibus perceptis, necessario voluntatem ad conversionem & renovationem adigeret, vel
volun-

voluntas divinitus tacta ita disponeret intellectum, ut nulla in sacris ignorantia, nullus scrupulus, nedum error, superesse possit: quorum utrumque & experientiae repugnat, & formae sanorum verborum: Illud quidem inter alia Pauli dicto, *Rom. VII, 23.* agentis, quod vel in illis, qui legi Dei consentiunt, imo suo modo jam bene volunt, lex peccati adhuc resistat eosque captivos reddat; hoc vero ejusdem Apostoli exemplo, qui serio jamjam volens Domino servire, tamen qua intellectum peculiariter erat informandus, *Actor. IX. 6.* Ceterum inter intellectum & voluntatem ex aeterni conditoris instituto amicissimum penitissimumque dari nexum fatemur, ut sponte sibi invicem vel obsecudent, vel socias ferant operas, aut suum quaelibet cum consensu & *κωνωνία* alterius agat, quousque intra suos limites, ut par est, consistunt. Ac praesertim intellectui magnetica velut quaedam vis est in voluntatem, libertati tamen hujus non derogatura, adeo, ut voluntas non nisi difficulter atque cum proprio detrimento huic se blando impulsui subtrahere queat. Provocamus ad experientiam hominis, qui certo certius sciat, venenum esse, quod bibendum ipsi porrigatur, praecipitem se futurum, si gressum promoveat: ecquidni scientia ista voluntas ejus commovebitur? Atque id ipsum tot exempla evincunt hominum per conscientiae monita a sceleribus, quorum illi perpetrationem plena jam voluntate decreverant, revocatorum, e. gr. fratrum Josephi, *Gen. XXXVIII, 20. seq. 26. seq.* & complura alia. Vicissim voluntas ut se opponere intellectui recta monenti potest, ita multis eundem modis sibi obnoxium habet, etsi universum ejus robur nunquam intervertere, communes aut firmiter impressas notiones immutare, directum mentis contra easdem assensum impetrare, aut, positis omnibus ad intelligendum requisitis, efficere queat, ut intellectus nihil vel falso intelligat; quo minus enim id statuamus, & auctoritas Dei, *Rom. I, 20. seq. II, 15.* & experientia intercedit. Potest vero voluntas intellectum ab actu secundo, ab attentione atque meditatione debita avocare, exemplo Felicis, *Actor. XXIV, 25.* Potest odio erga ideas & sententias saniores concepto ita afficere intellectum,

ctum, ut ab illis se avertat, aliasque, quibus istæ velut inter-
verti vel saltem impediri queant, interea arroget, ac cu-
pidissime contempletur, exemplo Ahab, *1. Reg. XXII, 8.*
Potest intellectui impedimenta in cognoscendo & judi-
cando quamplurima objicere, æque ac sensibus externis.
Hos igitur fines intellectus esse deprehendimus: Primum
notiones communes & insitæ veritates ejusdem peculium
sunt, quas, refragante etiam voluntate, per λογισμὸς κατη-
γορητῶν, *Rom. II, 15.* exercet. Deinceps idem ille ideas ex ver-
bo revelato concipit, & πρῶτον δευτικὸν est verbi impressi sive
νοητῆ, quod verbi scripti vel ore prolati vivus icon & chara-
cter est. Idem intellectus ideas, si fortius ac crebro impri-
mantur, custodit, & vel invita voluntate ad perpetuos usus
servat; quæ quidem munia omnia impedire voluntas per-
versa potest, extirpare non potest: Nam ad intellectum di-
vina gratia illustratum sigillarim hoc loco respicimus. Oeco-
nomia salutis hunc ordinem servat. Deus per verbum, h. e.
vocem, quæ intelligi potest & percipi, vocat, convertit
atque emendat. Verbi cujuslibet ea est indoles, ut primum
ideas, quas complectitur, intellectui imprimat, deinde vim
affectumque dicentis, ipsamque adeo ejus ὁρμὴν νοητικὴν, simul
indiget, atque in intelligentis mente depingat. Utrumque
solus intellectus percipit, quippe cui omnis perceptio, quæ
sensibus non fit, propria est, utrumque cum voluntate com-
municat, quæ ideis legitime instructis aliquantum, ὁρμῆ
autem ista vehementius movetur. Equidem lux illa, qua di-
vina gratia intellectum nostrum collustrat, atque salutaris
impulsus, quo intestina suæ commiserationis Pater optimus
nobis pandit, ut omnes hominum conceptus longe trans-
scendant, ita per vocabula ista idearum et ὁρμῆς non satis di-
gne exprimuntur, recte tamen, cum Domino ita visum sit,
etsi analogice, ita nominantur. Nihil horum voluntati tri-
bui potest, cujus rationes ita sunt intellectui innexæ, ut
nihil novi (est autem conversio novum opus, *2. Cor. V, 17.*
VI, 15.) sine verbo mente percepto in eadem producat. Est
equidem voluntas subjectum ὀικεῖον motuum ac desideriorum
salutarium a spiritu Dei productorum, quando a Patre lu-
minum

Coll. diss. A. 259, misc. 28

minum trahitur, *Io. VI. 44.* non autem est *πρῶτον δευτικὸν* verbi, quod cuius rem curate perpendenti extra aleam est. Præclara ergo in negotio conversionis ac sanctificationis intellectus a Deo illustrati munia sunt, atque, si recte rem capiamus, ab illo ad voluntatem salutiferæ Dei operationes transeunt.

Dolemus igitur, & merito dolemus, invalescere inter multos pessimi exempli doctrinam, quod voluntatis principes in negotio salutis ac unicæ propemodum partes sint, quod illa intellectui absolute imperet, hujus vero nulla in illam vis sit, ut post *Socinianos Fanaticosque* varios Auctor Præfationis libelli de religione rationali, qui sub *Arsenii Sophiani* nomine editus est, *fac. A. 5.* docuit. Conferantur etiam *Observationes selectæ Hallenses, Tom. II. Obs. XII. Tom. V. Obs. IX. Ictus Hall.* habitudinem intellectus & voluntatis pro fundamentali errore habens, in *Fundam. Juris Nat. & Gent. p. 4. & p. 34.* negans, quod intellectus voluntati normam præscribere, atque hæc illum libere sequi debeat. (Vid. etiam *p. 25.*) Eadem inculcantur *Tractatu Germ. Licht und Recht / Revel. I. Medit. 3.* Spero, tolerabilius sentire quosdam, qui docent, conversionem & emendationem inchoare a voluntate, atque illi proprie adscribendam esse, re ipsa tamen & hoc dogma ad priorem istum *κενὸν λόγον* redit. Potuisset elabi vox talis *Theol. Professori* (cujus nomini parcere malumus,) in *Thesibus Credendorum, p. 48. 49.* atque in *Disp. de Notis Candidatorum, Coroll. I.* Sed postquam publice hac de re *I. C. K.* in *Apologia Orthodoxie B.* disputavit, ista etiam mordicus defendi, graviter meritoque ingemiscimus. Conf. *Tract. Licht und Recht / Revel. I. p. 143.* Audiamus eorum rationes, qui ad devia ista deflectunt. Provocant ad Christi verba, *Io. V. 39. 40.* ubi primum vocem *ἐρευνᾶτε* modo indicante explicant de Iudæis verbum Dei magno cum ardore capiuntibus, ad Christum tamen atque veram conversionem voluntatis non pervenientibus. Deinde nullius sequelæ argumentum nequitur, cum, si vel maxime penes quosdam iudicio coecitatis obnoxios scrutatio Scripturæ inutilis esset, neutiquam tamen sequeretur, mutationem voluntatis intellectus illuminatione priorem esse. Urgent verba Servatoris, *Io. VII, 17. VI. 44. Act. II, 37. XVI, 14.* ex quibus legitima argumentandi forma nihil aliud exsculpi potest, quam conversionis opus non in solo intellectu fieri, verum et voluntati hic suas partes esse, id quod cum universa, qua purior est, Ecclesia, supra sum confessus. Sic voluntati divinæ nostram submittentem,

B

cer.

certiores de doctrinae divinitate reddimur, sic tractio Patris praeter illuminationem ad opus gratiae requiritur, sic in conversione cor pungendum est atque aperiendum: quo loco contra Auctorem *Apolog. cit. p. 55.* ad phrasen istas provocantem ea, quae superius de corde dicta sunt, notata velim. Gloriantur praesertim de classico illo, *timor Domini initium sapientiae, Ps. CXI, 10.* rati, per sapientiam istam conversionem intelligi. At enim vero, non dicitur, conversionem a timore Dei incipere (etsi vel timoris initium ab intellectu petendum sit) sed primum potissimumque sapientiae solidioris axioma esse metum Numinis, sine quo Ethica omnis elumbis & manca est; atque e vestigio additur, *hujus axiomatis intellectum bonum esse omnibus, κ. τ. λ.* Quando iidem Petri dictum, *2. Petr. I, 5.* inculcant, virtutes in Christiano homine praesentes non permittere, ut ἀναεργος sit in agnitione Christi, laterem lavant; revera enim initium totius negotii salutis fidei tribuitur *com. 5.* quae a notitia incipit, aperteque dicitur, *διὰ τῆς ἐπιγνώσεως,* per notitiam salutarem, reliqua, quae catenatim sequuntur, omnia inchoari. Agnitio peccati, a qua conversionem, tanquam ab opere voluntatis, inchoari volunt, reipsa prius est in intellectu, vel ipso nomine id indicante, at consummatur, voluntate accedente. Peccatum ajunt primo in voluntate concipi, adeoque & reparationem ejus inde initium capere debere; at subtilior est ista de initio lapsus concertatio, quam ut contra manifestas veritates allegari possit. Quin potius *Eph. IV, 18. 19.* obscuratiōi intellectus & ignorantiae principium corruptionis assignatur. Neque ista contrariorum lex eo usque est extendenda, ut ab opere diaboli deceptoris ad opus & oeconomiam Dei restauratoris argumentari liceat. Quod vero intellectus, voluntate praefracte corrupta, veritatem difficulter cognoscat, id nihil evincit aliud, quam impedimenta a voluntate multa suboriri, non vero conversionem a voluntate intellectui opposita incipere. Philosophicae quorundam hypotheses, quas allegant, nihil hic praestant, quam ut ad miserum istud praesudicium recurratur, alio pacto rem concipi non posse. *Vid. Apolog. cit. p. 61.*

Contraria vero sententia tum ex haecenus expositis, tum ex sequentibus argumentis luculenter sibi constat. Tota sane sacrarum literarum compages loquitur, veram emendationem per notitiam fundamentorum salutis nostrique officii comparari, id quod reipsa est, per intellectum voluntatem commovere. Hinc
cre-

creberrimus formularum istarum usus, τῆτο εἰδότες &c. Rom. XIII, 11. 2. Corinth. V, 11. 2. Tim. III, 15. εἰδότες ὅτι, Eph. VI, 8. Coloss. IV, 1. 2. Petr. I, 18. μνημονεύετε, Eph. II, 11. &c. adeo ut voluntati emendandæ semper argumenta prius ab intellectu agnita juxta formam sanorum verborum repræsentari debeant. Fides est ex verbo, qua audito & percepto, ἐξ ἀκοῆς, Rom. X. 17. perceptio autem ista sine dubio intellectui est adscribenda, quare primordia etiam conversionis inde sunt arcessenda: ad quem locum *Auctor Apol. cit. pag. 67.* indignis modis respondet: ἀκοὴν internam, quam post voluntatem immutatam demum sequi putat, externæ ita opponit, ut hanc actum mere pædagogicum vocet: male utrumque; nisi voce latius accepta, per auditum istum totius animæ obsequium intelligat. Equidem perceptio verbi divini in intellectu, quam Spiritus S. operatur, quæque cum auditu arctissime connexa est, nisi repudietur, nullo pacto pædagogicus actus dici potest, cum certissimum gratiæ opus sit, & gratiæ quidem prævenientis, atque initium salutis facientis. Quando Scriptura S. aperitur, h. e. menti cognoscenda proponitur, tum cor ardens evadit, h. e. voluntas ardorem concipit, *Luc. XXIV, 32.* Quando emendanda hominis voluntas est, lex Dei in intima mentis inscribenda prius est, *Ier. XXXI, 33.* Deus scientiam salutis populo suo dedit, *Luc. I, 77.* per præconium verbi salvare decrevit, *1. Cor. I, 21.* Manentes in doctrina pura salvi evadimus, *1. Tim. IV, 16.* denique Evangelium potentia Dei ad salutem est, *Rom. I, 16.* Sane si a voluntate intellectui opposita fides oreretur, manus omnino sequentibus absurdis dandæ essent: quod ultimum fidei ac veritatis agnitæ fundamentum sit voluntatis in intellectum herile imperium, vel despoticum illud, sic volo, sic jubeo: quod conversio fiat non per verbum, qua tale, qua intelligibile est, & mentem Dei repræsentat, sed alio quodam, & nobis non revelato modo, h. e. accurate loquendo, non per verbum: quod religio ac pietas hoc modo producta dici non possit λογικὴ λατρεία, *Rom. XII, 1.* quia λογικῶς & in ordine entis rationalis, penes quod ignoti nulla cupido est, non est producta: quæ sane citra veritatis divinæ noxam concedi nequeunt.

Quæ cum ita sint, merito monentur omnes, ut isti κενολογία, etsi ad pietatis speciem compositæ, valedicant, atque eum salutis ordinem servent, quem Symbolici Ecclesiæ nostræ libri, *Sol. Declar. p. 673.* profitentur; *Deum sic trahere, ut ex intellectu cæcato illum-*

minatus fiat intellectus, & ex rebelli voluntate fiat prompta & obediens voluntas. Absit enim, & quam longissime absit, ut voluntatis emendationem in sequestrum quasi mittamus, aut post intellectum jam plene illuminatum eundem demum ad regulam vocari statuamus. Retinere salutarem & divinitus revelatum ordinem annitimur, quo salvo, non momenta temporis numeramus, non vana subtilitate ad unguem omnia refecamus. Credimus, Deum, *qui lucem dat in cordibus nostris ad illuminationem cognitionis gloriæ Dei, 2. Cor. IV, 6.* eopte actu refractariam quoque voluntatem, tanquam primarium impedimentum, aggredi, sed verbo in intellectu repræsentato. Is est, qui et *cognoscere dat* intellectui, *2. Cor. III, 5.* & *velle* voluntati, & *perficere* toti homini, *Phil. II, 13.* Imponimus etiam necessitatem omnibus viam Dei serio quærentibus, ut corrigendæ voluntatis rationem quam maxime habeant, non de solo intellectu solliciti sint, imo ut utrumque arctissimo, quem Deus intendit, nexu jungant.

Sunt ex illis, quorum hæcenus rationibus solidiores rationes opposuimus, qui, ut tolerabiliorem reddant *κρηολογίαν* istam, fatentur, simulacrum aliquod agnitionis & illuminationis dari, quod ab intellectu inchoet, atque ex ejus conditione descendat, idque antecedere veram conversionem, sed indignum esse, quod in censum veniat. Pœne hariolari necessum est, quid sibi his velint. Vid. *Apol. cit. p. 73. Conf. p. 66.* Istud in confessis est, operationem gratiæ, quæ in intellectu incipit, si voluntas constanter repugnet, ad maturitatem suam non pervenire, sed fructum intercipi; verum eampse operationem, imo convictionem mentis, pro spuria & mere humana habere, id ab *ὕψιαινσι λόγῳ* per est alienum. En confessionem Ecclesiæ nostræ, *Sol. Decl. p. 671.* *Neque concionator neque auditor de Spiritus S. operatione dubitare debent: quin potius uterque certo sciat, si verbum Dei juxta mandatum & voluntatem Dei pure & sincere prædicatum fuerit, & homines diligenter & serio auscultaverint, illudque MEDITATI fuerint, certissime Dominum gratia sua præsentem esse, & largiri &c. De operatione Spiritus S. non semper ex sensu judicari debet, &c.* Idæ ex verbo Dei haustæ, & cum eodem convenientes, ratione originis divinæ sunt, recte enim *Dei verbum etiam ut tale accipitur, 1. Thess. II, 13.* Quod si igitur in pleno oeconomiae salutaris ambitu, & citra ullam perniciosam difformitatem hauriantur, non possunt non pro modulo subjecti ad
salu-

salutem ejus tendere: si confusæ, mutilæ, imo erroribus refortæ sint, eo ipso, si de systemate earum loquar, verbum salutare dici non possunt, quicquid autem in illis sani superest, quodocunque solitario & sine nexu corruptionis consideratur, id salutarem dubio procul & divinam indolem redolet. Porro ὁρμη̄ ista ac viva plenaque affectu intentio, quæ cum ideis verbi unita est, in intellectu dextre repræsentata, salutare quid est, atque cum ideis salutari- bus conjuncta plenam verbi δύναμιν εἰς σωτηρίαν nobis sistit. Sine dubio enim ideæ istæ & sancta ὁρμη̄, quatenus in scripto Dei verbo continentur, divinæ sunt. Est intellectui nostro præter facultatem repræsentantem alia quædam, vi cujus afficitur rebus perceptis, atque ad assensum inclinatur, ejusque ἀκμη̄ excitatur; & hujus præsertim adminiculo voluntatem in suum quasi obsequium trahit. Quare, etsi intentio divina recte intellectui repræsentetur, si ita sit excoecatus & ἀδοκίμω νοῦ̄ præditus, ut affici eadem se non patiat, tum sane & firmiter assensus deest, et mortui in modum vel somnolenti intellectus cogitat, & voluntatis motus quam longissime absunt. Neque tamen ideo suus verbo Dei in intellectu repræsentato eripiendus honor est, aut docendum, id solum pro verbo virtute divina instructo habendum esse, quod re ipsa voluntatem immutavit. Ecce enim hominum malitia datam a Deo fidem ac promissionem tolleret? Rom. III, 3. Sane etiam virtus illa & dignitas, quam verbo concessit, ἀμεταμέλητος est, eoque titulo verbum Dei etiam in impii ore ac corde intrinsecum valorem suum non amittit.

Non probanda igitur est, quam D. I. W. Z. publice aliquoties repetiit, sententia, nullam doctrinam arbitrium liberare, sive spirituales effectus producere posse, gratiam in regenitis operantem aliquid a doctrina plane separatum esse, profundiore quippe & quæ voluntatem molliat, ac sine ea doctrinam esse nostram operationem, non Dei, fructum virium naturalium, non gratiæ Dei, adeoque sanationem hominis non doctrina, sed gratia fieri, atque doctrinam semini æterno esse contradistingvendam. Vid. Syn. verit. oppos. D. Schelwig. p. 38. 39. 45. Theol. Evang. p. 151. seq. Hæc quidem confessioni Ecclesiarum nostrarum supra allegatæ mirum quam opposita sunt, quæ doctrinam pure & sincere prædicatam & meditatione perceptam cum opere Spir. S. arctissime conjungit. Largimur, immortale illud Dei beneficium, nempe doctrinam,

quæ intentionem Dei, qua ideas & ὁρμὴν νοητικὴν pure repræsentat, indignius tractari ab homine, in abusum trahi multiplicem posse, largimur, talem geminæ supplicii reum esse; largimur, præter operationem gratiæ, quæ intellectum instruit, alias etiam ejus actiones dari; sed virtutem divinam, semen æternum, a doctrina ἀποτόμως refecare, atque illam sibi relictam viribus naturalibus adscribere, nihil aliud est, quam verbum Dei internum externo opponere, universa Ecclesia nostrate repugnatura. Nunquam enim ferendum est, ut gratia a doctrina tanquam opere mere humano separetur, & pro re mere externa habeatur. *Vid. Apol. cit. p. 70.* Urgent, verbum Dei non secus ac alium sermonem vulgarem, naturalia phantasmata menti imprimere, salutare ideas post mutatam demum voluntatem sequi. *Vid. Theol. Evang. p. 180.* Respondemus, verbum Dei non ut λόγον ἀνθρώπων recipiendum esse, 1. *Thess. II, 13.* Quoties Deus loquitur, h. e. quoties verbum juxta mandatum Dei docetur atque consideratur, toties divinam mentem menti nostræ imprimit, non phantasmata naturalia, quæ impressio quousque retinetur, etiam sub doctrinæ forma, a Deo est, neque sine gravi Numinis offensa contemtim tractari potest. Imo, si quis ex mera curiositate aliisque vanis rationibus verbo divino det operam, adeoque non loquentem Deum audire, sed naturalia phantasmata ex verbo isto, qua signis expresso, petere velit, arbitror, Deum verbo suo præsentissimum ne tum quidem silere, sed quantum fieri potest salutaris suæ intentionis in talem etiam animum imprimere, neque seipsum suumque institutum abnegaturum esse, 2. *Tim. II, 12.* cujus etiam rei exempla plurima inter Judæos conversos κ. τ. λ. observata sunt. Non desunt homines, qui dum sacras literas tractant, vel in mero hærentes cortice, ne quidem ideas salutare, eo, quo fieri par est, statu ac ordine, multo minus affectum divinum sibi imprimi patiuntur, qui intentione ista intellectum suum affici nolunt, qui, etiamsi repræsentatione atque afficientia (sit venia verbo) non destituantur, obsequium voluntatis malitiose declinent, donoque accepto in vanitate sensus sui abutantur. Hos graviter reprehendendos, imo Christiano nomine indignos esse profiteamur; atqui horum incredulitas fidem Dei non abrogabit.

Solent οἱ ἐξ ἐναντίας nostris hunc in modum docentibus Pelagia-

309

ε ε

lagia-

lagianismum exprobare, sed gravi cum injuria. Equidem in Pelagianis Canones Conciliorum damnarunt, quod docuerint, gratiam Servatoris in doctrina solum & exemplo consistere, necessitatemque operationis divinæ negaverint; verum id ideo factum, quia Pelagius doctrinam (quam exemplo æquiparabat) virtutis divinæ exfortem sibi fingebat, adeoque principium motus salutaris humanis viribus tribuebat, tandemque vim divinam in sola intellectu illuminatione consistere, in voluntatem vero nihil eam agere, tradebat, quos errores Nostri sincere repudiant. *Vid. G. I. Vossii Histor. Pelag. L. III. p. 307. sq.* At Patres doctrinam salutarem gratiæ nequaquam opponebant, et si κατ' ἀνθρώπον contra Pelagium loquentes id facere videantur. Recte *Clemens Alex. Lib. V. Strom. p. 234. Edit. Comelin*: Δεῖ τὴν γνώμην ὑγιῆ κακῆσαι, τὴν ἀμετανόητον πρὸς τὴν θῆραν τῆ καλῆ, πρὸς ὅπερ μαλιστα τῆς θείας χρῆζομεν χάριτος, διδασκαλίας τε ὁρθῆς, &c. *Athanasius, de conversione gentium loquens, in Pass. Dom. p. 376. Edit. Comel.* τίς ἐστὶν ὁ ἐν τοῖς εἰδώλοις κατανύττων, εἰ μὴ ὁ κύριος; καὶ τίς ἀναγαγὼν αὐτὸς ἐκεῖθεν ἐστὶ δαλεούντας εἰδώλους, εἰ μὴ ὁ Χριστός; &c. Τὸ γὰρ παράδοξόν ἐστὶ τῆτο, ὅτι ἐστὶ δαλεούντων αὐτῶν εἰδώλοις, διανοίγεται τῆτων ὁ νῆς εἰς τὸ νοεῖν. Unde de Patrum mente satis constare poterit.

Obtestamur eos in Domino, qui hæcenus in docendis defendisque talibus posuerunt operam, ut divini honoris publicique egregii causa nihil non istorum penes se miti compositoque spiritu perpendant. Ecquid pronius est, quam admissis tribus illis κενόις λόγοις (quod nimirum intellectus & voluntatis nullum in sacris sit discrimen, quod salutare operationes a voluntate, excluso intellectu, incipiant, quod emendatio non per doctrinam, sed vi alia in voluntatem agente, fiat) descendere ad βεβήλας κενόφωνας istas, absurdissimum esse, quando doceatur, opus poenitentiae ab illuminatione incipere, ac in Christianismo solido etiam lumen lingvarum Orig. abrogari, a *D. I. M. L. in Defensione Rosenb. p. 35. 40. 45.* vim S. Scripturæ motivam literalem, sive vi vocum, sive vi rerum significatarum, esse tantum creatum quid, quod non possit supernaturaliter illuminare, a *D. I. W. Z. in Theol. Ev. p. 185.* voluntate emendata, nullum intellectus errorem perniciosum esse, *in Tract. Licht und Recht! Revel. I. p. 147.* Inde porro facilis descensus averni est ad ὑπέρογκα ματαιότητος, orthodoxiam rem nauici atque vanum commentum esse, ut ait *Christ. Elias exardens p. 270. G. Democritus in Paganismo*

pismo Prot. p. 102. 165. im Wein und Oel/ p. 12. opiniones quaslibet licitas esse, Consil. Theol. a G. Arnoldo edita, p. 746. Deum notitiam & confessionem Christianæ fidei non curare, neque ullum errorem ab amore Dei revocare posse, Tr. Bröderliche Liebel A. 1705. edit. p. 23. 33, Socinianos suam sibi orthodoxiam habere, quæ defendi possit, & articulos fidei ad veritatem in Jesu non pertinere, D. I. C. L. in Resp. ad Storrium, p. 40. 79. seq. Orthodoxiam esse meretricem & bestiam, Christum nusquam imperasse, ut recte sentiamus, C. Democritus, Tr. Ein Hirt p. 17. 18. 32. Orthodoxiam Lutheranam, ut prostibulum ad catastram affixam esse, idem, in Cogit. de Relat. circa Piet. p. 72. Spero, nobiscum eos abominari talia; quod si ingenue faciunt, obstruendas esse portentorum istorum scaturigines atque vel pullulanti malo obviam eundum fatebuntur. Ego quidem, quantilla sim eorum pars, qui veritatem ac pietatem ἀνεργήτως promotam cupiunt, non possum non (etsi ad odiosum Φιλονεισίας studium iudicio seculi referri talia soleant) perniciosum ulcus tangere, amoris tamen erga errantes per Dei gratiam non missurus nuntium, sed pro iisdem, ut ad veritatis agnitionem perveniant, Patrem Domini nostri Jesu Christi veris gemitibus imploraturus.

—
Eo consilio, postquam Deo Ecclesiæ Præsidi placuit, ut *Serenissimi Potentissimique Regis Poloniarum, qua Electoris Saxonie*, jussu in Academiam hanc, puriorum sacrorum custodem, ad munus docendi Theologiam legitime vocarer, idque divino mihi nutu adeundum esse intelligam, in primordio laborum Academicorum (quos honori suo publicoque bono destinatissimos esse Deus jubeat!) Oratione inaugurali, crastino die finitis sacris habenda, *Legem cordibus inscriptam*, hoc est arcem veritatis, qua mores proxime spectat, contra *Io. Lockium*, cujus pererudita scripta multis nostræ ætate periculum creant, opitulante Deo, vindicabo. Equidem hanc mihi Almæ Matris erga veterem alumnum benevolentiam spondeo, ut de præsentia Magnifici Academiæ Pro-Rectoris, Patrum Academicorum, Reverendorum Ecclesiæ Ministrorum, Adscriptorum Ordinis Philosophici & Civium quorumvis Academicorum, eorumque, qui favent literis, abunde sperem, eoque confidentius eo super beneficio, ea, qua decet, reverentia atque humanitate, suo quemvis ordine interpellem.

P. P. Domin. Quinquag. A. O. R. cIo Io CCVII.

—
VVITTEMBERGAE, Prelo GERDESIANO.

ORATIO SOLENNIS,
QVA
OPVS LEGIS IN CORDA
INSCRIPTVM

CONTRA
IO. LOCKIVM, LAMB. VELTHVSIVM &c.

VINDICABATVR,
ADEVNDI MVNERIS THEOLOGICI CAVSA
DIE VII. MART. A.C. cId DCG VII.
WITTEBERGAE IN AVDITORIO MAIORI HABITA

A
VALENTINO ERNESTO LOESCHERO,
SS. Theol. D. & P.P.

MAGNIFICE ACADEMIAE PRO-RECTOR

*Viri Summe - Reverendi, Iureconsultissimi, Experientissimi,
Excellentissimi, Pranobiles, Per-Reverendi, Pracellentes,
atque Clarissimi, qui regendo docendoque
Academiam fulcitis,*

TVQVE, PROFVTVRA OLIM PATRIAE, LECTISSIMORVM
CORONA CIVIVM,

AVDITORES OMNIVM ORDINVM HONORATISSIMI.

ITa vero mihi (divinum agnoscenti beneficium) postquam
in nonum ab hac studiorum meorum Matre annum ab-
fui, redire in ejus sinum, atque in hac Panegyri Acade-
mica Patres Civesque praesentes intueri licet. Salve mihi &
centies salve, o Alma, quæ & nutriisti adolescentis animum,
& honoribus Academicis ornatum per omnes gradus bene-
vola deduxisti. Salve, quæ redonatam Evangelii lucem a fe-
licissima usque Lutheri memoria fovisti renascentem, tuita
es oppressam, atque hodiernum, quæ Dei est gratia, salutare
illud depositum sollicita custodis. Salve eruditionis omnis
proma conda, & elegantiorum praesertim literarum a piis us-
que Melanchthonis manibus solertissima nutrix. Ac vos præ-
sertim salvete, pretiosissimi cineres Herois divinitus dati, di-
vini-

C

vini-

vinitus excitati. Tuam, o immortalis Luthere, quam Templa, Prytanea, omnes hujus Academiae Urbisque recessus ac anguli quotidie penes me renovabunt, memoriam non possum non conceptissima cum gaudii significatione exosculari. Salvete aeternae recordationis nomina, Bugenhagii, Jonæ, Lyferi, Hunnii, Mylii, Hutteri, Franzii, Meisneri, Hulfemanni, Calovii, ac ceteri, quorum vestigia procul assequi palmarium mihi fuerit. Atque adeo Vos etiam, celeberrimi Viri, qui impræsens sacrae custodiam doctrinae multa cum cura obtinetis, qui Juri laudatissimas fertis suppetias, qui Medicam rem feliciter tuemini, qui literas omnes duraturo in posteros studio ornatis, plurimum mihi ac reverenter salvete. Ego quidem, postquam divinae providentiae nutum perspexi, vocatus legitime ad suscipiendum munus docendi Theologikum, magnam felicitatis partem reputo, quod eos inter Viros, quorum & famam & merita veneror, consistendum mihi sit, a quibus monitis, ope, consilio juvari indies & sparta isthac dignior reddi possim. Ac postquam primordia laboris Academici capienda nunc mihi sunt, amplector hoc omen, deque favore Vestro amplissime sperans, quod Deus O. M. bene vertat, de magni momenti re, imperante sic temporum conditione, inter Vos differam; quod Vestra quidem pace, Magnifice Academiae Pro-Rector, Venerandi Patres, Cives exoptatissimi, Auditores omnium ordinum honoratissimi, fiat. Ut vero a Vobis vacivas mihi aures, non captandas tamen inanis ostentatione facundiae, non vanis precibus expeto; ita cum primis a Te, Clementissime in caelis Pater, supplex contendo, non equidem ut compta, ut contexta ex verbis humanae sapientiae, sed ut casta, ut ex illibato veritatis fonte petita, ut Tibi perplacens mihi contingat oratio. Hæc ego mihi auspicia in tuo nomine, o Servator humani generis, exopto: Namque, ut, præeunte Gregorio Nazianzeno, * loquar.

Χριστὸς δευτὸν ἐμὲ ἔθηκε καλῶ, καὶ κάρτος ὀπάξει,
 αὐτὸς ἐν μεσάτῳ σαδιήδρομος, ἔμάλ' ἐλαφρὸς
 ἔρχομαι, ἐκ ἀγέρας ἐν ἄλμασι κῶλα τιταίνων,

Χριστὸν

* Gregor. Nazianz. *de Virtute humana*, Oper. p. 136.

Χριστὸν ἔχων πνοιήν, Χριστὸν θένος, ὄλβον ἀγητήν,
ὅς με καὶ ἀπαήεντα καὶ εὐδρομέοντα τίθησι.

Contigit his temporibus, ut inde ordiar, quod majores nostri vix poterant vereri, ut passim nervi atque artus veritatis, velut a ludentibus, incidantur, quin imo solidum probitatis non fucatae fundamentum, lex in corda hominum divinitus inscripta, tot ingeniorum pruritu impugnetur. Equidem dictamen sentire conscientiae, adeo naturale hominum generi est, ex quo illud in varias orbis partes dispergi cepit, ut nulla sit moratior & sanæ rationis studiosa natio, quæ blandum hoc Dei in naturam imperium non agnoverit. Non ad justitiæ sacerdotes nunc provocabo, qui, Grotius ac Pufendorfiis præeuntibus, cumulatisima hujus rei per omnes fere gentes testimonia ex veterum scriptis collegere. Soli nobis Quirites impræfens sufficiant, quibus regere imperio populos divinitus datum, qui legibus mage quam armis obnoxium sibi orbem fecere, devictosque Marte populos æqui rectique studio, tanquam immortalibus vinculis, obstrinxerunt. Apud hos æquitas (ea vero primogenita dictaminis illius est) prima atque ultima legum ratio habebatur: quam notæ illis perspectæque προλήψεις istæ ac imperia naturæ fuerint, testis est Cicero, (α) testes sunt, quotquot ex gente ista sunt philosophati. Miro sane universi fere orbis, qua moribus cultior est, consensu accidit, ut collapsa dudum Romanorum & potestate & indole omni, leges eorundem, quippe inter eas, quæ supersunt, conscientiae imperio maxime affines, citra invidiam regnent, citra refragationem observentur. Neque indignum Theologico munere est, hæc annotasse, cum ad eosdem Romanos per immortalis gloriæ præconem Paulum (β.) Deus ipse scribat, homines omni divino lumine caecos ἐνδείκνυσθαι τὸ ἔργον τῶ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, συμμαρτηρήσεως αὐτῶν τῆς συνειδήσεως, καὶ μεταξὺ ἀλλήλων τῶν λογισμῶν κατηγορούντων ἢ καὶ ἀπολογυμένων. Agnovit rem istam, ne quidem penes Idololatrias oblitteratam, populo autem divina luce collustrato semper notissimam, vetus Christi Eccle-

C 2

(α) Cicero, *Academ. Quest. Lib. II. de Finibus Lib. III. Tusculan. Lib. I.* (β) *Rom. II. 15.*

sia,

fia, & constantissime agnovit. Prodeat Tertullianus, qui *communem istam in publico mundo in naturalibus tabulis legem* propugnavit: Testimonium dicat Origenes, qui *νόμον τὸν κατὰ τὰς κοινὰς ἐννοίας ἐνεσπαρμένον* non semel est confessus.

Atque adeo constantissimo seculorum consensu tam firmata stabilitaque videbatur hæc sententia, ut ne homo quidem, nedum Christianus, dici is posse videretur, qui movere hos terminos, laxare sanctissima morum frena, atque legis opus in corda omnium inscriptum oppugnare conaretur. Atenimvero, neque huic fano Herostratus defuit, qui suppositis errorum facibus, incendium tot malecuriosarum mentium excitaret. Ac primo quidem contentiosi quidam morum doctores, (pene dixerim decoctores) ex Lojolaæ præfertim sodalitia, ut licentiam quidlibet docendi faciendique nanciscerentur, confusis notionum classibus, irrefragabilia ista legis in corda hominum inscriptæ axiomata cum præjudicatis mortalium opinionibus, institutis heri natis & facile mutantibus, in eandem massam conjecerunt, impetraturi his artibus, ut nihil non probabile videretur. Fraudi sane hæc miscendi infana libido multis multorum ingeniis fuit, adeo ut dictata conscientia a prærogativa sua deturbata, paulatim contemptius haberi cœperint. Inde apertius res agi; prodire enim subtiliores morum Magistri, atque inter hos Lambertus Velthuisius, (cujus ego viri nomen ob multa in bonas literas merita ægerrime cito) qui publice profiterentur, *merito dubitari, an notiones & principia recti naturalia in nobis dentur, (γ) notiones communes, legemque cordi inscriptam inculcanda non esse, studium unionis animæ cum corpore esse unicum principium menti a creatione inditum, reliqua principia aut notiones, quocunque lubeat vocare nomine, acquisitas esse. (δ)* Modestius tamen ille scripsit, imo nonnunquam redire ad veritatem a studio exornandæ novæ Philosophiæ moralis videtur. Novimus, Thomam Hobbesium, (δδ) iisdem prope temporibus, velut effractis cancellis, erupisse, ipsumque cum jure naturali nostro dictamen

consci-
(γ) Velthuisius, *Tract. de Incestu, Oper. p. 179.* (δ) Idem, *Tract. de Principiis justis & decori, Oper. p. 977. seqq.* (δδ) Hobbesius *de Cive p. 12, 18. seq. 109. seq. Leviathanis Cap. XIII.*

conscientiæ ivisse inficias. Novimus, infelicissimum Spino-
sam (ε) iisdem malitiæ vestigiis institisse. At cum inter
monstra hominum merito illi referantur, non est quod in
sapientiorum confessu cum ipsis digladiemur. Joannem Lo-
ckium vero, nobili inter Britannos loco natum, magnæ in-
ter populares exterosque existimationis virum, fati tertio
abhinc anno functum, eo præsertim titulo evocandum cen-
seo. Qui cum ingenio, literis, solertia abundaverit, atque
de patria bene mereri cœperit, nimia forsan ingenii præfi-
dentia eo prolapsus est, ut in doctrinæ Christianæ funda-
menta involaret, libello præsertim *de Christianæ religionis ad
rationem habitu* (εε) edito, ac præterea dictamen conscientiæ
data omni opera, & conquisito argumentorum apparatu impu-
gnaret. Id quidem in priori parte non sane incelebris Libri de
Intellectu humano fecit, quando principia practica connata
negavit in universum, conscientiam abjectissime tractavit, in-
terque alia scripsit, *negare se, quod ulla lex ingenita detur*, (ζ)
opinionem qualitercunque adeptam stimulos admovere conscientiæ,
qua nihil aliud sit, quam opinio nostra de morali rectitudine, non in-
genitorum principiorum argumentum, (ζζ) imo in ὑπέροχαι ista
prorumpat: *Ubinam igitur sunt innata ista principia justitiæ, pie-*
tatis, gratitudinis, equitatis, castitatis? (ζζζ) Eiusdem vestigiis
institit Petrus Chauvinus, scriptor libri *de Religione naturali*, (η)
qui incongruas opiniones producere in scenam non infre-
quenter studuit. Vtinam a Germanicis Musis ad Garaman-
tas intemperies ista profugisset! Ingemiscimus vero ac indi-
gnamur,

C 3

(ε) Spinoza, *Parte IV. Etb. Prop. XXXVII. Schol. II.* (εε) *The
Reasonableness of Christianity*, quo libello, everfis maximam
partem mysteriis, ostendere voluit, religionem Christianam
absolvi vel uno isthoc articulo, quod Christus Messias sit,
vid. p. 32. seqq. edit. Gall. Amstelod. An. 1696. (ζ) *Lockius,*
Lib. I. de Intellectu humano, Cap. III. p. 17. (ζζ) *ibid. p. 14.*
(ζζζ) p. 15. Idem *Lockius* eo tandem licentiæ descendit,
ut p. 20. neget, naturale esse, parentibus morem gerere,
& *Legem naturaliter in animis signatam*, disertim, Apосто-
lo contradicturus, p. 16. neget. (η) *P. Chauvinus Lib. III.*
de Relig. Nat. Cap. II.

gnamur, Virum satis celebrem, Juris ac Philosophiæ Doctorem publicum magno multorum, ac vicinorum præsertim, cum detrimento infelix illud lolium propagare; nunquid enim id non faceret, qui ita docet? (9) Solet equidem frequenter inculcari, quod in formanda norma actionum humanarum cujuslibet conscientia debeat præprimis adhiberi, quia singuli homines habeant principia connata boni & mali. Sed hic quidem modus, si attentius consideretur, est admodum lubricus & insufficiens, ne quid gravius dicam. Jam enim alibi ostensum est, quod illa doctrina de principiis connatis, prout a Scholasticis exponitur, omni fundamento veritatis destituatur. Accedunt aliæ infinitæ rationes; atque hæc ita ejus Viri studio coagmentatæ sunt, ut conscientiæ dictamen evertatur: quo etiam illud pertinet, quando eodem libro nullus metus connatus esse dicitur. (1) Ejusdem vero Doctoris discipulus rem omnem, in Dissertatione de distinctione Legum Mosaicarum, impudentius prodidit, legem in corda inscriptam directe impugnans, imo (horreo impietatem) phrasin istam Pauli suo stylo figmentum appellans. (2) Enimvero de-

(9) *Fundamenta Juris Nat. Hale A. 1705. edita p. 87.* (1) *Ibid. p. 76. §. LXI.* (2) *Jo. Phil. Odelemius, Dissertatione de Legum Mosaicarum distinctione, §. II.* Nil obstat, quo minus colligamus, falsam esse legis moralis descriptionem, qua dicitur eandem jam ante Moysen hominibus fuisse traditam, ac eorundem cordibus inscriptam, &c. Quando autem de cordium inscriptione loquuntur, certe hæc nihil minus poterit probari, & est pium quoddam ad homines ab illis, quæ Reipublicæ quam maxime nocent, detinendis figmentum. Et, ut verum fatear, *Ius nature & morale nihil aliud, quam ingentia & horrenda hominum ingeniosorum monstra, ac idcirco jure meritoque destruenda, nisi interesse quoddam insigne impediret.* Hoc tamen non obstante, *invicta manet semper veritas, quod, sicuti nulla unquam fuit aut erit notitia Dei naturalis, ita nec jus quoddam detur naturale aut morale cordibus hominum inscriptum.* Idem porro legem inscriptam *fallaciam Theologorum* appellat, & blasphemus calamo scribit: *Quilibet Princeps Decalogum potest rejicere, &c. §. VII. ait: Nec quicquam in humana*

ploramus nostrorum calamitatem temporum, quibus accidit, ut nundinæ passim novarum opinionum habeantur, atque inter has absurdissimæ omnium carissime veneant. O dignum omni miseratione seculi gustum! Videas passim ex ruina veritatum munitissimarum gloriam captare viros boni publici causa natos, atque sublimi loco positos, sed in perniciem Ecclesiæ ac veritatis peritia sua, meritis atque ingenio abutentes. Neque illæ solum doctrinæ a novatoribus oppugnantur, quæ primo intuitu salva pietate, salvis moribus, convelli posse videbantur, verum & istæ, in quibus nervus & robur honestioris vitæ consistit, atque sine quibus vix umbram virtutis conservari posse crediderim. Tolle conscientia monita atque imperium, sane solem e cælo morum etiam Christianorum sustuleris. Fac, ut nemo non persuasus sit, dictamen conscientia nullo niti fundamento, ad cetera ingeniorum incommoda & præjudicia relegandum esse, metum, quo anguntur, quos conscientia vexat, non secus ac superstitionem, vel ab imbecilli genio, vel ab educatione sola & consuetudine oriri; num scelerum segetem lætissimo proventu excreturam negabis? Atque ea ipsa, quæ, vel inter gentes a Christi notitia alienas, dicente Juvenali,

- - - - - *Conscia facti*

Mens habet attonitas & surdo vel coecis audit,

Occultum quatiente animo tortore flagellum,

suo quasi loco mota, nihil turpe, nihil infandum habebit, neque solum, ut ille ait, negabit flagitium esse, scortari adolescentulum, verum & incestum, & blasphemiam, & quid non? a crimine absolvet. Novi, patronos istorum portentorum, vel penes seipsos & coram eodem, quod incessunt, tribunali, vel coram aliis ita se excusare, ut dicant; aliis te & solidioribus fundamentis pietatem omnem atque honestatem fulcire, neque adeo, vel legi naturali, vel honestati injuriam facere; quinimo scholasticas solum larvas, notiones innatas,

impun-
natura prostat, quod vel moneat, turpia esse fugienda, honesta vero facienda, vel etiam testetur, dari Numen quoddam altissimum, unice a nobis colendum. En profunditates Satanae!

impugnatum ire; tanti sane eas non esse, ut defendi tanto cum ardore, tanta cum indignatione erga dissentientes debeant: pretium se potius operæ commeritos, dum a *μορμολυκείσι*, a vilissimis ignorantiae atque fervilis obsequii foetibus, nos liberent. Ecquid vero in locum deturbati conscientiae dictaminis substituunt illi? interest enim nostra, imo universi orbis Christiani interest, ne pro Iunone nubem nobis obtrudi patiamur. Sunt inter illos, qui ad jus, imo potius *libidinem cujuslibet in quemvis*, ad caecum Magistratus arbitrium, ad commodum cujusvis & praesentem necessitatem nos remittunt, (*κ*) praeventibus injustitiae ducibus, Hobbesio atque Spinosa; haec vero ad perniciem latissima via est, orbemque universum suis manibus & furiis cruciandum relinquit, imo nefanda prodicione in manus tradit. Alii ad *societatem hominum*, velut ad alterum nos oraculum remittunt, rati, quaecunque inde scita provenerint, ea ad gubernandos mores esse quam sufficientissima. Nolim omnes, qui ex societatis jure morum praecipua derivant, eo censeri nomine, cum multi dubio procul recte sentiant, ac legis opus, in cordibus nostris scriptum, non oppugnent. Verum qui repudiatis conscientiae monitis ad illud solum nos remittunt, eos ut audiat moremque docentibus gerat, auctor esse nemini possum. Vicissim alii ad *solam nostrae conservationem*, h. e. vitae diuturnae & felicitis continuationem omnia reducunt, adeoque virtutem ex commodo metiuntur, inter quos Velthusius (*κκ*) æquissimus omnium videtur, qui finem creati hominis a Deo intentum, dignitatem ejus rationalem, atque alia discretim includit, cum alii, quasi e filice prodiissent, conditoris summi in statuendo morum fonte nullam habeant rationem. Quicquid ejus sit, Lesbiam hanc regulam esse ajo, nisi, notionibus Dei, peccati, & poenae in tuto collocatis, ab abuntentium strophis liberetur, pluribusque fulcimentis stabiliatur. Prodeat Confutius aliquis, atque vel integris nationibus persvadeat, nihil felicius esse atque sanctius pleno ad nihilum reditu, eos omnes contra primarium sui finem agere,

qui
 (*κ*) Lockius metum & utilitatem principia morum facit. (*κκ*)
 Velthusius, *de Principiis justitiae & decori*, Oper. p. 964. seqq.

qui conservare se vivos & valentes velint. Prodeat Stoicus quispiam, & repræsentatis ad vivum hujus vitæ incommodis, mortem suam philosophicam omnibus commendet: nunquid putas principium istud ejus esse roboris, ut sua sponte, ac sine notionum communium adminiculo, tantum errorem jugulet? Et quid homines summo loco natos, eaque potentia præditos, ut ad conservationem sui abunde illis omnia suppetant, nihilque humani metuendum adeo sit, a maxima parte scelerum avocabit? alia ut silentio involvam. Jo. Lockius, ut acquiri notiones omnes putat, ita acquisitas recti ideas, si Deum statuamus easdem ad honestatis conservationem dirigere, sufficere credit. At enimvero, si quis conditionem istam non admiserit, quod facturos esse quamplurimos vereor, si ea omnia, quæ imprimuntur nobis & sensim acquiruntur, incerta, vaga & levia dixerit, quid faciendum esse existimatis? Sane ad opus legis in cordibus scriptum, ad cogitationes vi insita accusantes, hoc est ad conscientiæ dictamen recurrendum erit. * Hoc ego humani generis Palladium, hoc concessum mortalibus immortale beneficium, Vestra, Patres Academici, venia, vestra, Auditores optimi, pace contra adversarios, & Lockii potissimum strophas vindicabo, atque ita vindicabo, ut Jureconsultis sua, sua Philosophis relinquens, quæ Theologici sunt fori exsequar, Paulini oraculi auctoritatem, & Theologiæ moralis non exigam partem divino, quod imploravi, auxilio asseram.

Ac primum quidem illustre illud Pauli dictum revoco in memoriam, qui de gentium lege scripta & revelationis luce neutiquam instructarum statu loquens, *opus legis in cordibus ipsarum scriptum esse, ait, idque eas re ipsa demonstrare, dum sibi*

D

ipsis

* Neque illi palmam merentur, qui gratiam Dei in regeitis in relegatæ conscientiæ locum surrogant; neque enim lumine majori minus extinguitur, & amisso regenerationis spiritu, inscriptum in corda legis opus omnino necessarium est.

ipsis sint lex, dum se ipsas de admissio scelere commeritaque pœna ad-
monendo, interdum etiam a vitiis avocando, legis scripta vicem ge-
rant. Opus legis est, monere, imperare, vetare, permittere,
 exprobrare, pœnam indicare, uno verbo, dictare: quare, si dicta-
 men illud appellaveris, fabam fabam dixeris. Atque illud dicta-
 men legis, id ipsum, quod lex divina scriptis etiam tabulis
 adurget, scriptum esse dicitur, non artificis stylo, sed con-
 ditoris sapientissimi potentissimique admirabili potentia. *Scri-*
bere, more in sacris recepto, est, certo ordine certisque sym-
 bolis aliquid consignare; quare citra dubium dictamen illud
 non ut cœcus quispiam impetus, non ut vaga capacitas, sed
 per certa & apprime constantia signa, certo atque inviolabili
 & egregiam harmoniam redolente ordine, consignatum est.
 Ultra suspicionem affirmo, locutionem istam ad veterum
 morem respicere, qui scribendo literas ceræ imprimebant,
 designarique eadem, quod notiones honesti & turpis, eo
 modo, quem divinus scriptor plenissime notum habet, in
 animos impressæ sint, nec adeo a nobis primum formentur,
 aut per externas res in sensus incurrentes meramque actio-
 num animæ reflexionem producantur. Ac præsertim phra-
 sis illa, *inscribi in cor*, hoc est, in maxime vivam, alacriorem &
 nobilissimam animæ facultatem, illius est indolis, ut notitiam
 rerum inscriptarum, eamque vividam suaque ἀκμῆ præditam,
 indicet. Sane, quando Deus pollicetur, se in Ecclesia Chri-
 stiana νόμον suum in corda inscripturum, (λ) quando Paulus
 fidem Christianorum Epistolam Christi vocat, scriptam in ta-
 bulis cordis carneis, Spiritu Dei viventis præconumque
 verbi ministerio, (μ) ipsam sane doctrinam salutis notitiam-
 que mysteriorum in animo dari certum est; neque nobis ul-
 la solidior suppetit ratio, cur istam phrasin alio sensu, quan-
 do de dictamine conscientiæ dicitur, accipi credamus. Ut
 cla-

(λ) Jerem. XXXI, 33. Ebr. IX, 10. *ubi synonymæ phrasæ sunt, in*
cor inscribere, & in mentem dare, quarum postrema dicta-
men rationale, ideis atque axiomatibus constans, innuit.
 (μ) 2. Cor. III, 3.

clarius omnia appareant, Apostolus dictamen illud fieri dicit
συμμαρτυρέσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως, conscientia hominum
unum idemque testimonium conjunctim præstante, quando,
inter diversissima etiam hominum instituta, mores ac in-
dolem, mirus in iis, quæ recta conscientia imperat, consen-
sus datur, totiusque humani generis testimonio, ne illis qui-
dem, qui obbrutuere, penitus exceptis, ultro firmatur. Qua-
re cum tam nobile sit conscientiae munus, merito legis illud
opus *dictamen conscientiae* nominatur. Postremo, ut omne
istud negotium non mechanica quadam assuefactione, non
cæco impetu fieri existimetur, facit Apostolus mentionem
cogitationum accusantium & excusantium, ac proinde cogi-
tando, perpendendo, dictamen illud exerceri docet.

Credo nos mentem Dei ex oraculo Paulino hac ratione
fatis perspexisse: qua in re consentientem habemus Eccle-
siam puriorem omnem, qua veterem, qua hodiernam, atque
inter alios ejus doctores priscos, Origenem ac Tertullianum,
consimili pacto dictum illud Apostoli explicantes. Soli pro-
pmodum Sociniani, protervum genus, cineres & favillas
his verbis adspergere tentarunt; tentasse enim illos dico, quod
inanibus ratiunculis, atque dubiolis non potuerunt perfice-
re, a Doctoribus Ecclesiae nostrae, potissimum a Calovio τῷ
πάνυ (v) ad incitas redactis. Atque adeo de mente Dei per
Paulum loquentis dubitari non posse arbitror; audire vero
mihi videor, unum alterumque sic obloquentem, sacras li-
teras, ut in aliis ad Philosophiam spectantibus causis, ita in
hac etiam moralis disciplinae particula, non ex rei natura, sed
ex vulgi opinione, ex recepta persuasione loqui, quo sermo-
ne Cartesii asseclas, Wittichium præsertim atque Burman-
num, crebro uti animadvertimus. Vestram fidem, Patres,
atque Auditores! In re omnium maxime facili atque com-
perta errorem loquenti Deo adscribere, & in morum qui-
dem genere, ubi non facienda esse, aut inculcanda falsa, ut
D 2 bonum

(v) B. Calovius, *Orac. XX. in Epist. ad Rom. & passim alibi.*

bonum inde oriatur, ipse conceptis verbis imperavit! Undenam tam felix universo hominum generi error? cujus ceteroquin deceptiones, quo longius durant, quoque amplius disperguntur, eo absurdiores fiunt & magis perniciosæ. Equidem, nisi quis adamantinis errorum vinculis sit constrictus, non credo, tam futili commento fidem habebit. Ecqui Spiritus Sanctus in ardua re, imo in convincendis hominibus versans, provocaret ad illud dogma, quod, si legitimis ratiociniis examinaretur, plane non sustineret impetum, verum ad adulterina miserorum præjudicia reducendum esset?

Post Achilleum illud argumentum alia quoque in medium producere fas esto. Quando idem electus Dei testis Paulus initio Epistolæ ad Romanos (ξ) scribit, neminem, ne Græcos quidem, h. e. gentes ab agnitione veri Dei alienas, legitima excusatione uti posse, si in capite præsertim cultus divini contra conscientiam agant, illud ipsum, quod hactenus vindicavi, conscientia dictamen dubio procul it stabilitum. Quod si enim ἀναπολόγητος ille est, qui Deum, quem existere non potest ire inficias, non colit, sed idolorum monstris præstat servitium, inerit sane in ejus animo dictamen prævium, lex cum ipso nata, cujus ipse dominus non est, cujus monita abolere prorsus atque omnino non potest. Qua si careret, speciosa admodum excusatione posset uti, quod in tanta rerum & opinionum diversitate, deficiente etiam legitimo monitore de suo erga Deum officio certus fieri non potuisset, quippe cum sola, quæ acquiritur, notitia ad munus illud, saltem penes maximam hominum partem, rerum quæ supra ipsos sunt malecuriosam, sufficere non videatur. At ille, quem propria ejus natura monet, ut sui ignorantiam officii nullo jure potest prætexere, ita excusatione legitima omni destituitur. Accedit catholica ista & constans experientia, quam & Apostolus sigillatim citat, λογισμῶν κατηγορούντων, cogitationum, quæ, perpetrato scelere, neminem non accusant, hunc quidem languidius, illum gravius, ne uno
tamen

(ξ) Rom. I, 20.

tamen per universum vitæ spatium prorsus excepto. Quod si enim cogitationes istæ consilio hominum eorumque arte ac opera productæ essent, sane & detegi res ista posset, & passim esset collapsura; casu autem fortuito eas penes universum genus humanum oriri, nemo credet, nisi qui ex dispersis literis jactu imprudenti egregium carmen componi posse crediderit. Idem evincunt, quas Paulus citat, cogitationes excusantes, quando animus recti conscius nec judicia hominum nec factorum adversitatem reformidat, sed per ἔγγρα-
Φον istud legis opus excusatus, reliqua omnia facile superat. Tanta hujus rei vis est, ut vitia, quantacunque ipsis a pœna omni licentia detur, non nisi sub virtutum adscito pallio prodire in publicum audeant; quod vel soli Caligulæ, Neronis, Domitiani, Caracallæ & Heliogabali Numi testantur, Pietatem, Liberalitatem, Fortitudinem Principis mentientes.

Sæpe ego multumque miratus sum, qui fieret, ut Velthufius, Lockius aliique legis innatæ adversarii nonnunquam, velut a lethargo suo redeuntes, ita loquantur, ut eandem agnoscere propemodum videantur: verum id divinæ nutu providentiæ accidit, ut vel inde veritati testimonium subnascatur, & qui Babelicam turrin exstruxerant, domestica confusione conficiantur. Fatetur Velthufius (o) *omnium cultiorum morum semina, quaque honestatis, decoris, modestiæ nomine veniunt, in ipso homine reperiri, neque illa tam arte, industria & ratiocinatione longe petita primum germinare incipere, quam quidem exemplis ad aliquam frugem excrescere, rationem illa excolere & perficere, ita ut nisi exemplis excitarentur, ut mortua semina atque inertia in hominum corde obtorpescerent.* Idem paulo post (π) scribit; *illos homines & gentes, quæ pudorem penes se expertum detri- verunt, sæpius illi obluclando, eo gravius peccare, quod ad hoc laborarint, ut sine ullo conscientie aculeo, quo retardentur, possent sese ad omne nefas proripere.* Largitur quoque, (ε) *primævam, rectam*

D 3

ε

(o) Velthufius, *de naturali pudore*, Oper. p. 175. (π) Idem p. 176. (ε) Idem, *de Incestu*, Opp. p. 182.

*Et naturalem rationem imperare, ut suum cuique tribuamus, non fu-
remur, κ. τ. λ.* Atque hac ratione maximam ille partem dictamen
conscientiæ agnovit. Nam cum alibi aliquam saltem propen-
sionem ad dictamina legis naturalis ex agnitione finis atque
indigentia nostræ ortam largiatur, (σ) hic femina omni dis-
cursu priora, eaque *in corde* se exferentia, cum conscientia
aculeo & rectæ rationis iudicio conjuncta, dari concedit, quæ
si cum lege innata non conveniant, quid sibi ille velit æ-
que cum ignarissimis scio. Etsi enim femina ista cum dispo-
sitione quadam ad Musicam aliasque artes, quam humano
generi tribuit, idemque cum instinctu puerulorum mecha-
nico, quo corpus ad situm sedentis componere possunt,
citra omnem regularum mechanicarum notitiam, aliquando
in comparationem mittat, (τ) videtur tamen id hypotheseos
potius studio, quam penes seipsum persuasus, scribere. Quæ
enim ille femina artium nominat, ea aut ex notionibus
connatis constant, sine quibus universalis atque in perpe-
tuum duratura artis principia constitui non possunt, eoque
titulo legem insitam tantum abest, ut extenuent, ut potius
eidem amplissime suffragentur: vel sunt *ιδιοσυγκρασίας* quæ-
dam, quæ cum catholicis conscientia aculeis contendere non
debent. Infantium vero mechanica dispositio, uti revera in
ipsis inest, ita ideis & notitia reflexa non constat, quia non ani-
mæ, sed solius corporis causa adest, dum e contrario dictamen
conscientia, animæ ac meditationis ergo nobis concessum,
notiones & interiorum perceptionem requirat, idemque in
ipso actu adsit, neque ad meram aptitudinem reduci queat.
Quare non est, quod Velthufius dicat, *naturalem illam aver-
sionem a rebus turpibus &c. assumi non posse pro principiis, quibus
fundetur disciplina moralis*, (υ) cum vel femina, quæ vocat, ar-
tium, ut proprio hominem gladio jugulemus, fundamenta
illis potissima subministrent.

Idem

(σ) Idem, *de Principiis justis*, p. 978. (τ) Idem, p. 180. 182.

(υ) Idem, p. 182.

Idem evenit Jo. Lockio, qui alicubi (Φ) profitetur; *Præcepta quædam moralia generis humani assensu valde generali comprobari, a quibus haud vera perspecta sit ratio, cur moralium præceptorum vim obtineant, quæ non alia esse possit, quam Dei voluntas & præscriptum.* Quæ si ita sunt, cur non potius fidem habet Apostolo, ea quæ ipsi haud perspecta sunt, declaranti? inprimis cum jam antea factus sit, *propensiones quasdam naturales ante sensus, in mentibus imprimi,* (Χ) etsi impressiones veritatis signatas nullo pacto admittere velit. Ecce propensiones istas, ubi observatas, pro dictamine conscientie non admittit? Aliam Lockio confessionem veritas extorsit; legis nempe naturalis cognitionem *per principia naturalia* percipi, & *naturæ lumine* cognosci posse. (Ψ) Quare cum principia naturalia & naturæ lumen omnibus communia sint, & per naturam homini convenient, ecce legem naturalem atque ejus dictamen per naturam in omnibus existere negat?

Dabitis veniam, Pro-Rector Magnifice, Patres Academici, Auditores optimi, ut veritatis causa cum hominibus istis paulo propius congregiar, eorumque rationes, quam potero, succinctissime refellam. Hic vero misceri inter se causas, ut confusis turbatisque controversie momentis victoriam adversarii obtineant, primo omnium animadverto. Cum enim tria sint in quaestione, primum; an detur lex in cordibus hominum universorum, dictamen conscientie solidum, principia practica omnibus communia? deinceps; num illa lex, dictamen, vel principia practica ab ipso hominum ortu ipsis per naturam eorum insint, innataque haberi debeant? tandem; an dictamen illud per modum notionum, idearum & axiomatum, per cogitationes & notitias insit? (ω) Certum est, sepa-

(Φ) Lockius, *Lib. I. de Intellectu, Cap. III. p. 14.* (Χ) Idem, *l. c. p. 13.* (Ψ) Idem, *p. 17.* (ω) Videtur Velthufius ad tertiam solum quaestionem negando respondere; circa alteram vacillare, cum primam negare vix sustineat; Lockius vero triplici isto nomine graviter errat, indeque inter alia p. 21. scribit: *Nulla, de quibus inter omnes convenit, dari principia practica ac proinde haud ingenita, extra dubium esse puto.*

separatim ista tractanda esse, si quis, veritatis prætendens studium, receptam sententiam examinare velit. Atenimvero argumenta hic a plerisque, cum primis a Jo. Lockio, sine discrimine manipulatim effundi video, neque caveri, ut suo quævis loco ponantur. Sane cum ad posteriores quæstiones negando respondere, & quod responsum est defendere non adeo absolum sit, atque periculosum, quam, ad primam quæstionem, ipsam legem cordibus inscriptam, ipsum conscientiae dictamen, negare; consultum τοῖς ἐξ ἐναντίας est visum, argumenta, quæ adversus τὸ innatum & contra ideas atque axiomata intime nota speciosius proferri poterant, ad impugnandum ipsum conscientiae dictamen adhibere. Non feremus autem hanc noxam, non decipi nos isto strategemate patiemur, sed suo quodvis ordine argumentum per-
censebimus. Ac primum Lockius nobis tot gentes opponit, penes quas exstantissima etiam vitia virtutum loco habeantur, v. gr. infanticidium apud Mengrelios & Peruvianos, cædes inimicorum cruenta & anthropophagia apud Tupinambios, sodomia & promiscua libido apud Turcas Aegyptios, (αα) vix ullam virtutis regulam excogitari posse, quæ non alicubi terrarum ab universo civium cœtu damnetur. (ββ) Possimus illi respondere gregans Velthusii verbis; *in talibus exemplis homines a primi honesti dictatis descivisse, libidine atque superstitione transversos actos.* (γγ) Equidem de exemplis istis ante omnia curatius esset disquirendum, num facta rariora, sed in oculos apprime incurrentia, pro instituto universæ nationis a peregrinantibus sint habita? annon in iisdem gentibus existant multi, qui flagitia ista detestentur? num nulli conscientiae remorsus in ejusmodi barbaris dentur? quæ sane omnia in aprico nondum sunt posita. Quod si vero unum alterumque exemplum (fuerit enim ex rarissimis & quæ contra universalem consensum citari non merentur) ad sufficientem atque debitam lucem fuerit perductum, nondum tamen

(αα) Lockius, *L. I. Cap. III. p. 15.* (ββ) Ibidem. (γγ) Velthusius, *Operum p. 196.*

men cademus causa, cum id solum evinceretur, dari hominum factiones, quæ suppresso conscientiae dictamine, Deo iustissimo iudice id permittente, ad brutorum fere sortem redactæ sint, quæ propria pervicacia istud concessum divinitus beneficium, ut Brachmanes quidam loquendi, sedendi, vel dormiendi facultatem, penes se suppresserint. Accedit, quod gentes vel maxime barbaræ vix unam atque alteram legis inscriptæ partem, ceteris interea salvis, exauctoraverint; nam qui homines cadunt Americani ebrietatem aliaque vitia abominantur; quod argumento est, si historiam gentium istarum rectius haberemus perspectam, nos catholicorum istorum scelerum suppressive innati dictaminis origines esse inventuros. Instat Lockius, illud nequaquam publice rejici potuisse, quod in singulorum animis legis vim habeat, (dd) ita sibi videtur Herculeo robore argumentari. Ecquidni vero norat, dari non paucas leges civiles olim latas notasque universo populo, quæ impune communiterque migrantur? colligetur exinde, leges istas plane non latas esse?

Aliud Lockius argumentum suppeditat, quod quidam sine conscientiae stimulis peccent; sic v.g. militibus in urbium direptionibus cædes & stupra pro ludis esse atque oblectamentis. (ee) Daremus aliquid huic argumento, si conscientiae vim ineluctabilem & quasi violentiam aliqui adscriberent. Sed cum nec nos ita opinemur, nec quisquam alius, quid ista ad rhombum? Peccet quis in rabie, in flagranti affectuum æstu constitutus, sine sensu stimulorum conscientiae, eo quod istorum tyrannis blando conscientiae motu longe superior est. Quid tum? Veniet tempus, quando, ut ille canit,

- - - - - *Quod fas*
Atque nefas, tandem incipiet sentire peccatis
Criminibus.

Paulus sane hujus argumenti non fuit immemor, quando post firmatum $\gamma\upsilon\omega\varsigma\omicron\nu\ \tau\tilde{\iota}\ \Theta\epsilon\tilde{\iota}\varsigma$ poenam hanc gentibus inflictam
E ait,

(dd) Lockius, p. 16. (ee) Idem, p. 14. 15.

ait, ut in concupiscentias cordium propriorum, in immunditiam traditæ sint, quia veritatem transmutarunt in mendacium, datos eos esse in reprobam mentem. (§§) Atque hæc ipsa est cauteriata conscientia, quam Paulus ad Timotheum (ηη) commemorat, quæ, obducto graviori callo, sensum pungentis Legis innatæ nullum agnoscit. Inculcat Lockius, multa quidem de reverentia, qua homines dictamina legis insitæ prosequantur, jactari, sed re ipsa parum illa aestimari, ac v. gr. præclarum illud principium: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, sermone & elogiis magis quam actionibus hominum commendari, (§§) imo ex quotidiana ejus migratione citra contumeliam commoda passim peti. Largimur, inter notiones insitas aliquod ponderis & virium discrimen dari, atque adeo citatum illud Axioma, maxime cum nimis latum sit, non ita percellere animum ac illud, incestum non esse committendum; attamen & isti sua virtus denegari non potest, & in actionibus judiciisque mortalium, & in conscientie exprobratione se exserens, ut olim apud Josephi fratres ingeminantes: *Rei peragimur super fratre nostro.* (ιι) Idem Lockius non raro nobis inculcat, ea, quæ a nobis conscientie dictamina dicuntur, natalibus levissimis uti; *dogmata, quæ non ab alia origine, quam nutricis religione & anili superstitione fluxerunt, progressu temporis, habitis vicinorum assensionibus, in principiorum dignitatem adulescere posse.* (κκ) Verum, si adversarius ab eo quod fieri potest, ad id, revera est, concludit, næ ille ex arena funiculos necit, & responso plane indignus est; sin ita se rem cum lege insita habere credit, quod quidem sequentia perpendicularibus in mentem ultro veniet, non potest ab impietatis nota liberari. Non ea est anilium fabularum, quas nutrices occulant, vis, non eorum, quæ præceptores contra veritatem tradidere, ut sapientissimorum hominum perpetuum assensum etiam post penitissimum examen obtineant, ut a ferocissimis ingeniis, quicquid contra nitantur, penitus obli-

(§§) Rom. I, 24. 25. (ηη) 1. Tim. IV, 2. (§§) Lockius, p. 14. (ιι) Gen. XLII, 21. (κκ) Lockius, p. 20.

obliterari nequeant. Sunt, quorum educatio multa illis contra dictamen conscientiae impressit, qui ad usum rationis ubi pervenerint, urgente hujus stimulo, ista excutere necessum habent. Vbi hic nutricum neniae? Instat, homines in quavis arte vagae exercitationis pertaesos, non posse tranquillitate animi frui, donec principia quaedam inveniunt, in quibus tanquam stabili fundamento requiescant; idem in morum etiam genere evenire, ut regulas sibi quidam fabricati sint, quae pro lege insita postmodum fuerint venditatae. (λλ) Hic denuo noster ab eo, quod fieri potest, argumentum imbelles instituit. Quid facilius, quam hac via ad Pyrrhoniā σκέψιν pervenire? Inventae equidem sunt & constitutae artium quaedam enchirises, quarum praescripto uti in amplissimo earum campo possumus; sed ab iis ad immobilia artium principia, vel ab his etiam ad dictata legis innatae argumentari per sanae Logices regulas non licet.

Tandem, ut aliquo e sacris tibicine ruentem causam Lockius fulciat, Apostoli vocem in medium producit, gentes in tenebris Deum quaesivisse atque in ignorantia versatas esse; (μμ) Unde concludit, notitiam Dei & recti, quae conscientiam moveat, a Deo hominibus non esse inditam. (νν) Atenimvero dantur tenebrae, datur ignorantia, quae non omnimodae sunt, quae debile aliquod lumen, sed sub modio reconditum, admittunt. Atque de tali ignorantia Paulum loqui, ipse ejus sermo ostendit, quippe, qui de legitimo & revelato Dei cultu agit.

Est, qui nostra aetate dictamen conscientiae hoc ratiocinio impugnet: (ξξ) *Conscientiam esse judicium singulare intellectus proprii de bono & malo, cum vero singuli homines a natura*

(λλ) Idem. loc. cit. (μμ) Aa. XVII, 27, 30. (νν) Lockius, p. 24. (ξξ) *Auctor Fundament. Iuris Naturae, Halae An. 1705. ed. p. 87.*

tura habeant diversissima & opposita judicia de bono & malo, sequi necessario, quod norma evasurae sint opposita. Cum vero ejus hypothesein de diversis hominum speciebus non possimus admittere, cum ab adventitia hominis corruptione, atque a quadam aptitudine, ad naturalem statum illum argumentari videamus, etiam theorema illud de diversa conscientia, cui experientia universim contradicit, collabitur. Sint hominum varia de sensu boni judicia, sint quaedam mire depravata; unum erit de boni & recti immutabilibus momentis dictamen, quod, corrupto etiam gustu reclamante, everti non potest. Pergit, cuius suam conscientiam rectam videri, judicem vero desiderari; in quotidiana praxi conscientiam rectam esse, quae cum plurium vel potentiorum judicio conveniat; contingere igitur, ut conscientia, quae recta sit, in hac societate, habeatur pro erronea in altera. (oo) Non poterit hoc argumentum applicari ad prima & notissima conscientiae dictata, contra quae si quis errat, vix pro homine haberi poterit, facileque ad primam maturiorem meditationem suae stultitiae commonefiet. Reliqua, si quis animum appellere ad rem velit, ex primis istis & irrefragabilibus *ἐννοήσις* deduci, indeque errans conscientia dignosci & emendari potest. Idem responderi poterit ad tertium Viri argumentum, quod, cum in corrigenda erronea & scrupulosa conscientia jubeamur sapientiores sequi, commune dictamen conscientiae eo ipso eludamus. (ππ) Non enim auctoritati aliorum, sed directioni obsecundare jubemur, quando ad prima & immobilia legis connatae dictata animum nostrum revocantes, conscientiam ex conscientia restituunt.

Atque haec sunt, quae pondus aliquod habere videbantur, de ceteris impune supersedebimus. Liceat vero & eas breviter attingere rationes, quae non ipsa quidem conscientiae dictata, sed τὸ ἐμφυτον, sive quod innata eadem sint, impugnant. Hic primum urgetur, ea in universum

(oo) Idem, p. 88. (ππ) Idem, p. 88. 89.

sum eius naturæ esse, ut demonstrari queant ex utilitate generis humani, partim ea, quam quis in societate obtinet, partim privata, vitæ nempe diuturnæ & felicitis conservatione; quare, cum ex utilitate nascantur, credi non posse, quod per naturam in nobis insint, cum principiorum connatorum nulla ratio reddi possit. (ϩϩ) Postremum illud pingvi Minerva dicitur: Nam si recte putaverimus, principiorum ejusmodi, excepto omnium primo, rationes possunt omnino, sed non debent exponi, quia ceteroquin satis stabilita sunt. Neque negamus, naturæ leges quasvis commoda humano generi innumera afferre, indeque *jus nature consequens & subsidiarium* deduci posse; quod utinam adversa pars recte perpenderet, neque nimio hujus studio alterum illud jus, nempe *antecedens & primum*, repudiaret! (σσ) Nonnunquam ad logica subsidia recurrunt, negantque concipi posse, quo pacto lex & notitia justî nasci in homine possit, si præsertim infantum misera omnisque notitiæ expers conditio consideretur. Sed cui Hylas iste non dictus est? Sunt alia, quæ contra τὸ λογικόν, sive contra ideas & axiomata, quorum adminiculo lex in corda inscripta esse dicitur, inculcantur. Jo. Lockius, ut ideas omnes innatas cum axiomatibus, ne prætermisso quidem primo cognoscendi principio, exauctora- vit, (ττ) ita ad conscientiæ forum destruendum consimili modo progreditur, ratus, primariis istis axiomatibus sublatis, hæc non perstitura. (υυ) At ille malum malo cumulat, & cum prius non evicerit, ut alio loco facile ostendi poterit, cum propria confessione velut suo se gladio jugula- verit, (φφ) nullo jure hunc arietem arci nostræ admovet.

E 3

Nul-

(ϩϩ) Lockius, p. 12. 13. Velthufius & Thomafius *passim*. (σσ) Posteriorius *originarium* etiam dici potest, quia veram originem dictatorum conscientiæ ostendit, prius vero *derivatum*. (ττ) Lockius, *Lib. I. Cap. II. integro*. (υυ) Idem, p. 12. (φφ) Concedit enim *Lib. II. Cap. II. §. 1. 2.* quod mens humana ideas *simplices* mutare nequeat, idemque *Lib. II. Cap.*

Nullam porro ait pœnæ & virtutis ideam innatam esse, & ne quidem concipi posse; (xx) Sed hæc gratis postulatur, nulla ratione firmantur. Ideam autem pœnæ satis grandem & immanem, quæ peccati illecebras omnes perimat, quamque connasci cum lege insita vellet, ipsi merito domum cum adjecto scommate connati Evangelii (ψψ) remittimus. Iniquum porro est postulatum, enumeranda omni accuratione esse, quæ & quot sint conscientiæ axiomata, secus si fiat, rem pro fabula habendam. (ωω) Possunt equidem haud difficulter enumerari, neque tamen, ut ille scribit, eo modo, quo digitorum numerus nobis constat; sunt enim, ut quæ ad systema spirituum pertinent omnia, suo more attentoque mentis studio tractanda. Postremo sunt, qui moneant, permittenda talia esse Philosophis, neque sacratoris disciplinæ vel hilum interesse, quicquid de conscientiæ imperiis doceatur, quippe cum ea conscientiam Christi luce collustratam, non naturalem illam, debeat contemplari: Male vero & illud, cum & conscientia Christiana majori lumine utens, minus illud non negligat, & multum intersit Theologi, hostes revelationis lucis ex naturalibus dictatis convictos dare, tandemque Spiritus Sancti testimonium, opus legis in cordibus inscriptum esse pronuntiantis, nequaquam sit deserendum.

Moror vos (ut metuo) Patres Academici, Auditores exoptatissimi; quare terminum pono sermoni, quem intra suos contineri terminos alioqui fas est. Date mihi hanc veniam, ut postremo loco de iis, quæ ad me, paucis modesteque disseram. Nostis, divino evenisse nutu, ut post benevolam Academiæ universæ, ac Venerandi cumprimis
Ordi-

XIII. §. 27. quod exiguum inter homines, qua easdem ideas, discrimen sit.

(xx) Lockius, p. 17. (ψψ) Scribit, loc. cit. *forſan etiam Evangelium cum lege innatum esse.* (ωω) Lockius, p. 17. §. 10.

Ordinis Theologici commendationem (quam gratissimamente deprædico,) ab Ecclesiastico munere & Sacrorum Ephoria, quam Delitii inter Misnenses gessi, Serenissimi Potentissimique Poloniarum Regis, qua Electoris Saxonici, jussu legitime ad munus docendi Theologiam sim vocatus. Abeundum mihi est a statione, in qua favoris divini signa quamplurima observavi, beneficia pene innumera collegi, adeunda vero ea functio, quæ portionem donorum divinatorum ὑπερβάλλουσιν, vires, patientiam, animum, scientiam atque industriam tantam exposcit, quantam ego polliceri mihi per humanas spes neutiquam possum. Edocendi sunt futuri Ecclesiæ antistites, vigilandum pro veritate, adurgendum sinceræ pietatis studium, resistendum Lernæ malorum, quæ innumeris nunc capitibus pullulat. Quid faciam ego, o Pater, o propitie rerum mearum Rector? obsecundabo mandatis tuis, parebo nutui, reliqua omnia committam Tibi, tuum in sinum ὁ πανάγιστε deponam. Tuo jussu vocatus sum, meritoque ut Tibi, ita Serenissimo & Potentissimo Academiae Nutritori, atque illustribus ejus Administris, qui sacris civilibusque rebus præsent, pro isthoc beneficio demississimas persolvo gratias. Bene me hactenus duxisti, o Pater; eccur de tuo præsidio, ope, gratia, vel imposterum non amplissime sperem? In vestro, Pro-Rector Magnifice, Patres Academici, Auditores optimi, favore, altera mihi post Deum spes est. Vester sum, accipite me, qui totum me vobis ingenuo, si quis alius, animo tradam: Efficite quæso, ut vestra fultus benevolentia æquiores tanto oneri humeros supponam; vestra denique meis vota precesque conjungite, ut coeptis propitium Numen annuat, ne qua aut fallam ego infelici conatu, aut spe ista fallar, quam concipere jussit, illinc clementia Numinis, hinc favor affectusque vester. Vos præsertim, qui sacris literis in hac Alma operamini, filii Prophetarum, carissima mihi capita, suscipite me ex asse vestrum & post Præceptores vestros, quorum nomina & ego vobiscum veneror, atque ad latus eorum non nisi summa cum reverentia accedo, aliquam
amo-

amoris vestri partem & mihi date. Sociemus animos, o mei, ad honorem Dei, veritatis culturam, Ecclesiae salutem, qua poterimus, procurandam. Vt vero non is ego sum, qui vel adimplere spes vestras possim, vel æquare tanta nomina, quæ duobus abhinc seculis hanc Cathedram exornauit; ita affirmare sine præfidentia possum, me nec prurritum novitatis, nec vanam contentionis cupiditatem, nec partium studium, neque pectus tumidum ac sui plenum in hanc Academiam illaturum esse. Tuebor potius (iuvante Deo) purioris doctrinae consensum, obsequar salutari- bus monitis, quicquid in me est virium, imo vel sangvi- nem, in commune bonum impendam; denique, sicubi la- plus fuerim, pervicacia omni relegata, reduci me in viam, vel a quolibet monitore, lubens patiar.

Tu vero, o Pater hominum, Pater Domini nostri Jesu Christi, cujus imperio aggredior hanc spartam, cujus ar- bitrio totum me meosque permitto, ne quæso deseras me, quem vocasti, ne emancipes, quem hæcenus ex voto de- duxisti. Sim tuus, dum vivam, neque excidam hoc be- neficio, quod omnibus serio tuam gratiam quærentibus polliceris. Jubes me conclamatis hisce temporibus diffi- cillimam adire spartam, ergo & preces audi meas, er- go & labori publice publice privatimque inter sis. Non sine, vel lucem obscurari tuam, vel pacem turbari, vel ho- stium Ecclesiae adimpleri vota. Hæc sit Academia tua Go- sen, quam protegas, hæc Salem, qua delecteris, hæc Sion in qua perpetuum tibi domicilium figas, hæc schola Pro- phetarum, concordia templum, sapientia sedes. Revoca quæso in mentem calamitates, quibus undique cingimur, cogita, diligi Te a nobis, & animo fiducia pleno invocari, atque præterea illustre illud pignus tuum, veritatem divi- nam, studiosius inter nos custodiri: Dum gemimus, solare, dum trepidamus, erige, dum opprimimur, juva, dum mergi- mur, apprehende, ut tuo vecta remigio inter medios fluctus navis isthæc tua salutis portum feliciter contingat.